

mento confirmatus, sit extortus, capit. *Auctoritatem* 2, caus. 15, quæst. 6, cap. *Verum* 15, de jurejurando; Sanchez lib. III, in Decalog., cap. 26, n. 26; Suarez lib. II, de juramento cap. 21, num. 6; Layman loc. cit., n. 5; Pirhing loc. cit., num. 115; qui ex communi dicunt tunc tale juramentum posse etiam relaxari ab episcopo, vel alio prælato quasi episcopalem jurisdictionem habente. Vide verb. *Votum*, art. 3, n. 125.

(35. Relaxare juramenta directe, id est per modum absolutionis, vel dispensationis pertinet ad solos superiores, seu iudices ecclesiasticos, quia est actus jurisdictionis spiritualis, cum juramentum sit vinculum spirituale; adeoque ad solam potestatem spiritualem spectat illud dissolvere. Relaxare autem juramenta indirecte, id est ratione materiæ, vel supplendo vicem ejus, cui juratum est, et qui remittere debeat et nolit, potest pertinere etiam ad iudices laicos. Si enim ille, cui juratum est per metum, vim, vel dolum, tale juramentum remittere debeat, et nolit remittere, tunc iudex sæcularis loco, et nomine illius, quamvis renitentis, illud remittere potest, quia, quando subditus tenetur præstare consensum ad aliquem actum et renuit, potest iudex sæcularis illud præstare, et supplere ejus consensum, et eo invito id præstare, quia in tali casu factum iudicis reputatur factum partis, ut docent doctores in lege. *Si ob causam*, eod. de eviction. Et sic tenet Suarez lib. II, de jurament., cap. 41, num. 16; Sanchez lib. III, c. 22, num. 13; Layman loc. cit., capit. 11, num. 9; Pirhing, loc. cit., num. 159; Guttierrez, et alii.

(36. Placet hic subnectere formulam juramenti præstandi ab abbatibus, aliisque monasteria, seu ecclesias habentibus cum jurisdictione quasi episcopali, et territorio separato, quam præscripsit Bened. XIV, tom. I, sui Bullarii, const. 7 incip. *Quod sancta* § 11, et est talis.

« Ego N. ab hac hora inantea fidelis et obediens ero B. Petro apostolo sanctæque Romanæ Ecclesiæ, et domino nostro N. papæ N. suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio, aut consensu vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, seu capiantur mala captione, aut in eos violentè manus quomodolibet ingerantur, vel injuriæ aliquæ inferantur quovis quæsito colore. Consilium vero, quod mihi credituri sunt per se, aut nuntios suos seu litteras, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam. Papatum Romanum et regalia S. Petri adjutor eis ero ad retinendum et defendendum, salvo meo ordine, contra omnem hominem. Legatum apostolicæ sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo, et suis necessitatibus adjuvabo. Jura, honores, privilegia et auctoritatem S. R. E. domini nostri papæ et successorum prædictorum conservare, defendere, augere et promovere curabo. Neque ero in consilio, vel facto, seu tractatu, in quibus contra ipsum dominum nostrum, vel eandem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra, vel præjudicialia personarum, juris,

nonoris, status et potestatis eorum machinentur. Et si talia a quibuscunque tractari vel procurari novero, impediam hoc pro posse; et quantocius potero, significabo eidem domino nostro, vel alteri, per quem possit ad ipsius notitiam pervenire. Regulas sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, seu dispositiones, reservationes, provisiones et mandata apostolica totis viribus observabo, et faciam ab aliis observari. Hæreticos, schismaticos, et rebelles eidem domino nostro, vel successoribus prædictis, pro posse persequar, et impugnabo. Sacras BB. apostolorum memorias singulis triennii, seu quinquennii, personaliter, ac per me ipsum visitabo, et domino nostro successoribusque præfatis rationem reddam de commissio mihi munere, deque rebus omnibus ad mei monasterii, seu ecclesiæ statum, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique, quæ meæ fidei creditæ sunt, salutem quovis modo pertinentibus, et vicissim mandata apostolica humiliter recipiam, et quam diligentissime exsequar. Quod si legitimo impedimento detentus fuero, prædicta omnia adimplebo per certum nuntium ad hoc speciale mandatum habentem de gremio conventus monasterii mei, seu capituli Ecclesiæ meæ, aut alium in ecclesiastica dignitate constitutum, seu alias personatum habentem, aut, his mihi deficientibus, per aliquem salium presbyterum sæcularem vel regularem spectatæ probitatis, et religionis de supradictis omnibus plene instructum. De hujusmodi autem impedimentis docebo per legitimas probationes ad S. R. E. cardinalem congregationis sacri concilii præfectum per dictum nuntium transmittendas. Possessiones vero ad monasterium meum pertinentes non vendam nec donabo, neque impignoro, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu conventus monasterii mei, inconsulto Romano pontifice. Et si ad aliquam alienationem devenero, pœnas in quadam super hoc edita constitutione contentas eo ipso incurrere volo. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia. » Sic ibi ad litteram.

(37. Alia ad rem. Vide verb. *Votum*, cum ea quæ dicuntur et resolvuntur de voto, possint proportionaliter dici et resolvi de juramento.

#### ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(38. Tres hic quæstiones non intempestive sunt discutiendæ. Prima est, « quatenus juramenta actibus invalidis adjecta vigorem in praxi habeant? Altera, an ex tali juramento hodie detur actio? Et tertia, an ex juramento defuncti teneantur hæredes? » Ad primam quæstionem quod attinet, pro ejus recta resolutione distinguendæ sunt plures actuum species. (39. Sunt enim actus a Legibus absolute prohibiti. Sunt actus qui non dependent a libero contrahentium arbitrio. Sunt actus, qui tertii præjudicium concernunt. Sunt demum actus, qui non valent in favorem agentium, valere tamen possunt, si ab eo, cujus interest, non impugnantur.

(40. Actus absolute prohibiti per juramentum confirmari nequeunt, propterea quod positi si non sunt in arbitrio paciscentium, nec possunt pactis privatorum tolli, præsertim si contineant speciem delicti. (41. Idque non solum de iis actibus intelligendum, qui juri divino vel naturæ sunt contrarii, sed et quos jus canonicum, vel civile absolute prohibuit utilitatis publicæ gratia. (42. Atque hinc est quod clerici, ne accedente quidem juramento, jurisdictionem prorogare queunt, cap. 12, de judiciis. (43. Absolute enim hæc prorogatio prohibita est. Vide et alia exempla, quæ suppeditat jus canonicum cap. 18, de testib., et c. 4, de testib. cogend., et cap. 7, de pignor.

(44. Neque per juramentum confirmantur actus, quia libero contrahentium arbitrio non dependent. Sic is, qui venditionem contrahit pactumque juratum addit, ne unquam pretium exigatur et tamen venditio omnino maneat, nihil agit cupitque contradictoria. (45. Nec societas est ita inita ut ad alterum omne lucrum perveniret, ad alterum omne damnum, si vel maxime juramentum intervenisset; Vide Seraphinum de Seraphinis de privileg. juramenti privileg. 130, n. 6.

(46. Nota vero quod actus, quibus certæ solemnitates sunt præscriptæ, ob earum defectum nulli quidem sunt, sed non ita paciscentium arbitrio exempti ut eosdem sine solemnitatibus peractos servare haud possint, si velint. (47. Atque ideo actus hujusmodi per juramentum confirmantur, supè plente ipso juramento defectum solemnitatum. Benckendorff ad Seraphinum de Privileg. jurament., lib. I, cap. 25, n. 117.

(48. Variæ hinc oriuntur conclusiones. Transactio, quæ, non inspectis tabulis de iis quæstionibus quæ ex testamento dependent, facta est, non subsistit; accedente juramento, valet, ut quidquid contradicat Seraphinus de privileg. jurament., privileg. 100, num. 5, firmat. Benckendorff cit. loc., n. 2. (49. Pariter transactio de alimentis testamento relicti sine prætoris decreto et causæ cognitione facta, nulla est; at sustinetur si accedat juramentum: Fachin. lib. III, controver. jur., cap. 21; Colet. de aliment., lib. II, cap. 8, num. 24. (50. Donatio demum excedens 500 solidos sine insinuatione irrita est; at munita juramento valida est. Seraphin. de privileg. jurament. fere per tot.: ibique Benckendorff, n. 3.

(51. Actus tertii præjudicium concernentes per juramentum non confirmantur. Atque hinc sponsalia posteriora licet juramento munita subsistere nequeunt in præjudicium priorum publicorum, si insistat prior sponsa juri suo. (52. Et renuntiatio jurata S. C. Macedoniani valet in liberorum præjudicium, non item patris, in cujus favorem primario hoc S. C. introductum est.

(53. Reliquum est ut disseramus de actibus illis qui non valent in favorem agentium; possunt tamen valere, si non impugnentur ab eo cujus interest. Hos autem per juramentum jure canonico confirmari nototius est. Quo fit ut alienatio fundi dotalis

jure civili non subsistat, si vel maxime uxor consentiat, valeat tamen jure canonico, interveniente juramento, cap. 28, de jurejur., et cap. 2, eod. tit. in 6. Vide aliud exemplum in cap. 2, de pactis in 6.

(54. Pergimus ad secundam quæstionem, an ex juramento detur hodie actio. Sant qui tenent jurantem ad servandum juramentum obligari ex virtute religionis, ut tamen nulla alteri acquiratur actio in foro externo. Confer Wiestner instit. jur. can., lib. II, tit. 24, num. 78. At dari ex juramento actionem dicendum est, attento c. 9, de arbitrium c. 28, de jurejurand. Consule Bohemerum in Decretal., lib. II, tit. 24, § 54, et plur. seqq.

Tertia et ultima quæstio est, an hæredes ex jurerando defuncti teneantur? At si ex jurejurando datur actio, facile est dignoscere obligari hæredes ex jurejurando defuncti. Tametsi enim quoad reatum perjuri juramentum defuncti haud transeat in hæredes, ipsa tamen obligatio, quæ in persona defuncti robor propter jusjurandum accepit, impugnari minime potest ab hæredibus, quippe qui obligati sunt ad factum defuncti præstandum.

#### ADDITIONES CASINENSES.

##### Appendix de juramento.

(1. Apud omnes gentes et quovis ævo, circa asserta, pollicitationes, promissa, contractus maximam semper vim jurisjurandi fuisse ex vetustissimis monumentis sat compertam habemus. Hinc apud Sophoclem

Mens excitari jurejurando solet,  
Ut bina diligenter evitet mala,  
Culpari amicis, et deos offendere.

Hoc pacto, inquit Tullius (*Offic.* 3): « Nul- lum vinculum ad astringendam fidem majores nostri jurejurando arctius esse voluerunt. »

Ægyptii, Diodoro teste, jusjurandum vocabant fidem maximam: atque apud eos « in perjuros capitis pœna erat constituta, ut qui duo maxima committerent flagitia, quod et pietatem in Deos violarent, et fidem, maximum humanæ societatis firmamentum, everterent. » Sic idem Diodorus, lib. I, cap. 77.

Et quia juramenti maxima vis, et sanctimonia etiam apud ethnicos habita fuit, gravissimam propterea pœnam perjuros manere nunquam non creditum, quæ ad posteros quoque perlingeret.

Clades mortalibus...

Adveniunt, quoties fallaci pectore jurant.  
(Hesiodus, *Theogon.*, v. 231.)

Apud Euripidem, Medæ interroganti quid Ægeus, si quæ sub jurejurando promiserat non præstaret, passurus esset, hic respondit: Quæ hominibus impiis solent accidere.

2. Porro ad veritatis fideique humanæ præsidium jusjurandum præsto fuisse, ex facto disciplinaque populæ nemo sit qui dubitet. Quo illud Pauli spectat: *Ad confirmationem est juramentum (ad Hebr. VI, 16).*

(3. Jam vero juramentum nihil aliud importat quam Deum in testem assumere.

« quia quasi pro jure introductum est, ut quod sub invocatione divini testimonii dicitur, pro vero habeatur. » Sic D. Thom. 2-2, q. 89, art. 1. — Et hoc profecto est, quod ait Augustinus: « Quid est jurare per Deum, nisi testis est Deus? » (4. Hinc juramentum est « assumptio, seu imploratio divini testimonii ad aliquid confirmandum. »

(5. Adverte quod « jurare est Deum invocare, seu assumere in testem, non quidem, ut hic et nunc veritatem aliquo miraculo testetur, hoc enim esset tentare Deum; sed quando, et quomodo ei placuerit, sive in hac vita, sive in altera, quando *illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium* (1 Cor. IV, 5). »

(6. Illud vero in primis prænотandum venit « juramentum secundum se esse licitum et honestum. » Quod patet ex origine et fine. Ex origine quidem, quia juramentum est introductum ex fide qua homines credunt Deum habere infallibilem veritatem et universalem omnium cognitionem et provisionem; ex fine autem, quia juramentum inducitur ad justificandum homines, et ad finiendum controversias. D. Th. 2-2, q. 89, art. 2.

(7. Imo, ex eodem D. Th. jurare est actus religionis, sive patriæ. « Dicendum in ejus verba, quod ille qui jurat invocatur divinum testimonium ad confirmandum ea quæ dicit. Nihil autem confirmatur, nisi per aliquid quod certius est et potius. Et ideo in hoc ipso quod homo per Deum jurat, profitetur Deum potius utpote cujus veritas est indefectibilis, et cognitio universalis; et sic Deo aliquo modo reverentiam exhibet. Exhibere autem reverentiam Deo pertinet ad religionem, sive patriam; unde manifestum est, quod juramentum est actus religionis, sive patriæ. » 2-2, q. 89, art. 4. — Neque obstat, quod Dominus *Matth. v.* dixerit: *Ego autem dico vobis non jurare omnino*; ut et *Jac. v.* legitur: *Ante omnia, fratres mei, nolite jurare*. Hæc enim scripta testimonia nequaquam jusjurandum ejusque usum, sed ab usum duntaxat condemnant, scilicet facilitatem jurandi, etiam in levissimis, nulliusque momenti rebus, adeoque « sine necessitate, et cautela: videtur enim parvam reverentiam habere apud Deum; qui eum ex levi causa testem inducit, quod non præsumeret etiam de aliquo viro honesto. Imminet etiam periculum perjurii, quia de facili homo in verbo delinquit. Unde in *Ecclesiast. XXIII, 9*, dicitur *Jurationi non assuescat os tuum: multi enim casus in illa.* » Ita D. Thomas 2-2, q. 89, art. 4.

Intellige ex hoc, « quod juramentum non est de genere eorum, quæ per se bona sunt et frequentanda, uti est oratio, eleemosyna, et hujusmodi; sed quæ bona sunt duntaxat, supposita vera necessitate, seu causa rationabili, ut explicat Augustinus, lib. 1, de *Verbis Domini in monte*; » Reiffenst. ad tit. 24 ex de jurejur., § 1, n. 23; Bonacina, de juram. disput. 4. punct. 3, prop. 1, n. 1; Sanchez in Sum. lib. III, c. 3, n. 2.

(109) Notandum quod communiter rustici non

(8. Prima autem et præcipua juramenti divisio est in *assertorium* et *promissorium*: quippe « divinum testimonium quandoque inducitur ad asserendum præsentia, vel præterita, et hoc dicitur juramentum *assertorium*, quandoque autem inducitur divinum testimonium ad confirmandum aliquid futurum, et hoc dicitur juramentum *promissorium*. » Sic D. Thomas 2-2, q. 89, art. 1.

(9. Exploratum porro habeto ad juramentum duo ex communi sententia requiri: 1. intentionem saltem *virtualem* jurandi, seu Deum in testem assumendi. Quippe cum juramentum debeat esse actus humanus, quatenus juramentum est, ac proinde ab intentione jurandi proficisci, hinc profecto est nullo modo jurare qui verba juramenti, verbi gratia, docendi causa profert ac recitat, cum animus jurandi revera desit. 2. Locutionem, qua Deus in testem advocatur: Quæ locutio non solum in verbis consistit, sed etiam in quovis signo quo Dei invocatio exprimitur; puta, nutu, contactu Evangelii, elevatione manus, etc., quando hæc fiant ex jurandi intentione. Imo illa locutio potest esse mere interna, et sic juramentum mere internum esse potest.

(10. Jam vero tres comites, ut verbis utar D. Th. juramenti ponendi sunt, *veritas*, nempe *judicium*, et *justitia*, secundum illud *Jerem. IV: Jurabis: Vivit Dominus in veritate, in judicio et justitia*. Audiamus eundem Thomam in hæc verba: « Ad bonum usum juramenti duo requiruntur. Primo quidem, quod aliquis non leviter, sed ex necessaria causa et discrete juret; et quantum ad hoc, requiritur *judicium*, scilicet discretionis, ex parte jurantis. Secundo, quantum ad id quod per juramentum confirmatur, ut scilicet neque sit falsum, neque sit aliquid illicitum, et quantum ad hoc requiritur *veritas*, per quam aliquis juramento confirmat quod verum est, et *justitia*, per quam confirmat quod licitum est. *Judicio* autem caret juramentum incautum; *veritate* juramentum falsum; *justitia* autem juramentum iniquum, sive illicitum. » 2-2, q. 89, art. 3. Præstat nunc de quolibet horum sigillatim disserere.

(11. Quod ad veritatem spectat, ubi hæc deest, peccatur mortaliter, quia committitur gravis in Deum irreverentia, quippe adducitur in testem falsitatis. Neque hic excusat levitas materiæ, quia sive hæc sit gravis, sive levis, seria, sive jocosa, æqualiter tamen repugnat Deo testificari falsum; et tale juramentum dicitur perjurium. Apud D. de Ligor. de Juram., n. 147. « Ille qui jocose perjurat, sic D. Thomas, non evitat divinam irreverentiam, sed quantum ad aliquid magis augeat, et ideo non excusatur a peccato mortali. » 2-2, q. 98, art. 3, ad 2.

Hinc ab Innoc. XI damnata fuit sequens propositio: « Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia propter quam velit aut possit damnare hominem (109). »

(12. « Porro perjurium proprie dictum est apprehendunt gravitatem perjurii, dum se confi-

juramentum falsum, quo quis aliquid sub obtestatione divini numinis confirmat esse verum quod tamen credit esse falsum, vel econtra ait esse falsum quod putat esse verum. Vel brevius: perjurium est juramentum de falso in opinione jurantis. Additur, in opinione jurantis, quia quamvis quod quis jurat esse verum vel falsum, sit tale a parte rei, si tamen jurans putaret non esse tale, nihilominus pejeraret, quia deliberate Deum in testem rei, juxta suam opinionem, falsæ adduceret. »

(13. « Infertur proinde omne perjurium, cum deliberatione factum, esse peccatum mortale, quia revera est gravis irreverentia Deo illata ipsum deliberate adducere in testem mendacii; et hoc idem dicendum, si quis dubitaret de veritate; nam exponeret se manifesto periculo adducendi Deum in testem falsitatis, ac proinde peccaret. »

(14. « Additur notanter *deliberate et advertenter* factum; quia ut notat doctor noster... estque *communis*, perjurium sine deliberatione factum, non est peccatum mortale, cum generaliter ad omnem actum humanum, ac præsertim ad peccatum mortale requiratur *voluntarium*, ac sufficiens deliberatio. Unde quamvis nunquam ratione parvitas materiæ, adhuc tamen ratione defectus *voluntarii*, aut sufficientis deliberationis, quandoque homines a peccato mortali contingit excusari, dum videlicet proferunt verba ex se quidem juramentum falsum sonantia, sed sine intentione actuali, vel virtuali Deum in testem falsitatis adducendi; aut quia id faciunt non cum plena deliberatione; siquidem, ut notat saepe citatus D. Thomas, 2-2, q. 73, art. 2, « Peccata verborum maxime sunt ex intentione dicentis dijudicanda. » Ita Reiffenst. Theol. Mor., de juram. q. 2, conclus. 11, n. 28 et 30.

(15. « An autem ita et quando (sic etiam D. de Ligorio) perjurium possit esse veniale per accidens; scilicet ob defectum deliberationis et advertentia. » V. Exobat, l. cit., n. 147.

(16. Idem docet Bonacina hoc pacto: « Quapropter si non est verum quod jurat, vel jurans arbitratur non esse verum, aut dubitat esse verum, quod certo jurat, peccat mortaliter peccato perjurii, aut saltem exponit se periculo adducendi Deum in testem falsi. Hoc tamen intelligendum est nisi jurans excusatur ob indeliberationem, aut levem negligentiam in cognoscenda veritate. Istæ enim sunt regulæ generales, generaliter excusantes a peccato. Lessius, Sanchez, Valen-

tentes de juramentis parum vel minime distinguunt juramenta vera a falsis; et hoc ex praxi missionum jam dudum intellexi. Quare pro iis, qui consuetudinem taliter ad pejerandum habent, confessarios potius censeo abstinendos esse ab instruendis his talibus de peccato gravi, quod revera est in perjurio, ne peccata materialia in iis ob malum habitum, quem habent, formalia evadant... Bene tamen talis consuetudinarii sunt fortiter monendi, ut deinceps desinant falsum jurare. Cæterum non semper expedit monere hujusmodi rudem pœnitentem de gravitate perjurii, si monito prævideatur non de facili profu-

tia, Suarez, Filliuc., et alii. » De juramento disput. 4, punct. 3, propos. 2, n. 5.

(17. Demum ut quid addamus quoad defectum veritatis in juramento promissorio; ex communi, peccat mortaliter qui aliquid juramento promittit sine voluntate implendi vel si jurat se facturum quod scit sibi esse impossibile, idque etiam si res sit moraliter tantum impossibilis. Peccat quidem graviter qui promittit aliquid cum juramento, putans impossibile ut impleat, sed addendum cum Salmat., secus esse, si probabilem rationem haberet implendi: ita D. de Ligorio, de Juram., n. 172. Item peccat mortaliter si dubitet an possit, vel debeat præstare; nec in his excusat parvitas materiæ, sitve licita, vel illicita (110).

(18. « Quæritur qualiter quis debeat rem aliquam judicare veram, ut desuper jurare possit? Sanchez, Castropalo, Diana, putant esse sufficiens, si tantum probabiliter ea res judicetur vera, saltem, si juramentum fuerit extrajudiciale. Econtra vero Suarez, Dicastillo, alique, existimant requiri moralem certitudinem talem, ut de opposito non adsit formido prudens, seu fundata in ratione gravi; vel saltem, juxta La Croix, ut de opposito non habeatur formido æqualis, alias enim quis se exponeret periculo gravi alicujus perjurii. Et hæc sententia, ait Reiffenst. mihi æque ac P. La Croix præplacet, præsertim in judicialibus, ubi agitur de damno tertii; etenim vi juramenti videor velle indicare quod id de quo juro censeam magis verum quam ejus oppositum. » Reiffenst. Theol. Mor. de Juram. q. 2. conclus. 11, sub. n. 3.

Vide insuper Lucium nostrum art. 1, v. *Juramentum*, n. 48. et seqq.

(19. Circa vero usum amphibologiæ et restrictionum non pure mentalium, quamvis intentio nostra non sit infirmare quæ modo observationis ad n. 13, et seqq. art. 1, v. *Juramentum* in addit. Roman. Theologo, ad auctoris velut castigationem, notata sunt. Attamen cum de re maximi momenti agatur, non alienum duximus doctrinam D. de Ligorio super hac materia per extensum referre, ut lector quid sit in praxi tenendum magis ediscat.

(20. « Ad majorem claritatem (en ejus verba) in hac materia tam difficili plura sunt distinguenda. Primo loco distinguendum, aliam esse Amphibologiam, sive æquivocationem; aliam *restrictionem mentalem*.

(21. « Amphibologia triplici modo esse potest, 1º quando verbum habet duplicem sen-

tura » Ita D. de Ligorio l. cit., n. 159.

(110) « In juramento promissorio, ut clarius conceptum explicemus duplex veritas interveniat necesse est, una intentionis, seu veritas dicti, et altera executionis, seu veritas facti; etenim perjurium committitur, non tantum si non serves quod promittis, sed etiam si ab initio servandi intentionem non habueris, quamvis ex post facto serves, quia ejus rei, quæ secundum tuam intentionem falsa fuit, Deum testem adduxisti. » Engel ad tit. 24, ex de Jur. ju. § 1, n. 6.

sum, prout *volo* significat velle, et volare; 2° quando sermo duplicem sensum principalem habet, verbi gratia, *hic liber est Petri*, significare potest, quod Petrus sit libri dominus, aut sit libri auctor; 3° quando verba habent duplicem sensum, unum magis communem, alium minus; vel unum litteralem, alium spiritualem; ut verba illa quæ dixit Christus de Baptista: *Ipse est Elias*, et Baptista dixit: *Ego non sum Elias*. Quo sensu viri spirituales cibos delicatos dicunt eis nocere, id est mortificationi; doloribus afflicti dicunt bene valere, id est quoad robur spiritus: sic etiam quis interrogatus de aliquo, quod expedit celare, potest respondere; *dico non*, id est dico *non*. Cardenas de hoc dubitat, sed, salvo meliori consilio, videtur immerito, cum verbum *dico* vere duplicem sensum habeat; significat enim proferre et asserere; in nostro autem sensu *dico* idem est ac *profero*.

(22. « His positis, certum est et commune apud omnes quod ex justa causa licitum est uti æquivocatione modis expositis, et eam juramento firmare. Ratio, quia tunc non decipimus proximum, sed ex justa causa permittimus, ut ipse se decipiat, et ex alia parte non tenemur ad mentem aliorum loqui, si justa causa subsit. Justa autem causa esse potest quicunque finis honestus ad servanda bona spiritui, vel corpori utilia. »

(23. « Restrictio vero mentalis, alia est *pure mentalis*, quæ nullo modo ab aliis percipi potest; alia non est *pure mentalis*, quæ ex adjunctis circumstantiis innoscere potest. »

« Restrictio *pure mentalis* nunquam est licita, nec juramentum super eadem, ut patet ex tribus propositionibus damnatis ab Innoc. XI. »

In quibus prima, n. 26, dicebat: « Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocunque alio fine juret se non fecisse aliquid quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fuit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus. »

Secunda n. 27: « Causa justa utendi his amphibologiis est quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas; vel ad quemlibet virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens et studiosa. »

Tertia, n. 28: « Qui mediante commendatione vel munere, ad magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato regis exigi solet, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum. »

(24. « Econtrario licitum est ex justa causa uti restrictione non *pure mentali*, etiam cum juramento, si illa ex circumstantiis percipi potest. Id probatur ex *Joan. vii*, ubi Christus dixit: *Non ascendo ad diem festum hunc*. Et tamen narrat Scriptura quod postea ascendit; *non ascendo*, subintellexit, mani-

festate, ut rogabant discipuli, sed *ascendo* occulte. Pariter ex *Matth. xxiv*, ubi Dominus dixit: *De die illa nemo scit... neque Filius*, subintelligendo ad manifestandum, ut discipuli petebant, prout explicat D. Augustinus, p. 6, in proleg. Sic etiam sentit D. Thomas, 3, p. q. 10, art. 2, ad. 2, inquiens: « Dicitur ignorare diem, quia non facit scire; » *id est* ac si dixisset: *Haud scio ad manifestandum aliis*. Et idem sentiunt Chrysost., Hier., Ambros., Athanas., Basil., Hilarius, ut testatur Suarez. Hanc sententiam communiter tenent Gonet, Layman, Palud, Soto, Cardenas, La Croix, etc., ubi dicunt hanc sententiam esse communem fere omnium DD. Consentit etiam rigidissimus Contensonius. Nam explicando illud *Joan. vii*, de Ascens. Christi ad diem festum, dicit Christum verba subobscura adhibuisse, in quibus poterat vir prudens verborum sensum facile interpretando aperire. — Favet D. Thomas, 2-2, q. 110, art. 3, ad 4, dicit: « Non est licitum mendacium dicere ad hoc quod aliquis alium a quocunque periculo liberet; licet tamen veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione, ut August. dicit in lib. *contra mendacium*. » Ratio autem hujus sententiæ est, quia si non liceret uti restrictione non *pure mentali*, non existeret modus seeretum licite celandi, si quis nequiret aperire sine damno, vel incommodo; quod utique esset æque perniciosum commercio humano quam mendacium. »

Damnatio autem peracta a pontifice restrictionis mentalis recte intelligenda est de restrictione *pure*, et stricte sumpta; illa enim tantum vera mentalis restrictio dici debet, quæ tantum in mente sit, et ita occulta remanet, et nullo modo ex circumstantiis externis agnoscitur. D. de Ligorio, de Juram., n. 151, 152.

(25. « Hinc infertur: 1° confessarius affirmare potest, etiam juramento, se ignorare peccatum auditum in confessione, subintelligendo, ut hominem, non ut ministrum Christi. *Communissime*. Ratio, quia interrogans non habet jus nisi ad sciendam notitiam communicabilem, qualis non est notitia confessarii. Id hoc etiam si alter interroget, an audierit ut minister Christi... Quia confessarius semper censendus est respondere ut homo, nam, ut minister Christi, non potest loqui. Hinc dicunt Card., ac Fel. Pot., quod quoties tenetur quis occultare infamiam alterius, licite dicit ignorare, scilicet non habeo scientiam utilem ad respondendum; sive non scio tanquam manifestabile... Et si quis temere petat a confessario an audierit tale peccatum in confessione, bene potest respondere: Non audiui, scilicet, ut homo, vel ad manifestandum. » *Idem*, l. c., n. 153.

(26. « Reus, aut testis a iudice non legitime interrogatus potest jurare se ignorare crimen quod revera scit, subintelligendo ignorare ad deponendum. Item, si testis ex alio capite non teneatur deponere, nempe si ipsi constet crimen caruisse culpa, vel si sciat crimen, sed sub secreto, cum nulla

præcesserit infamia. Reus tamen, vel testis, qui legitime a iudice interrogatur, nequit ulla æquivocatione uti, quia tenetur justo præcepto superioris parere. Est *Communis*. Et idem dicendum de juramento in contractibus onerosis, quia alias injuria alteri irrogaretur. Excipe in iudicio, si crimen fuerit omnino occultum, tunc enim potest, imo tenetur testis dicere, reum non commisisse. Et idem potest reus, si non adest semiplena probatio. Tamb. cum communi, quia tunc iudex non legitime interrogat; » D. de Ligorio, ib., n. 154.

(27. « Quæritur 2° an reus legitime interrogatus possit negare crimen, etiam cum juramento, si grave damnum ex confessione ipsi imminet? Negat Elbel cum D. Thom., et quidem probabilius, quia reus tenetur tunc pro communi bono damnum illud subire. Sed satis probabiliter Lugo de just., Tamb., Sanchez, Viva, item Ebel, Carden., cum Nav., Less., Fill., et aliis pluribus, dicunt posse reum, si sibi imminet pœna mortis, vel carceris, aut exsilii perpetui, amissionis omnium honorum, treremium, et similis, negare crimen etiam cum juramento, saltem sine peccato gravi, subintelligendo, non commisisse, quatenus teneatur fateri, modo sit spes vitandi pœnam. Ratio quia humana non potest sub gravi obligare homines cum tanto onere. » D. de Ligorio, ib., n. 156 (111).

(28. « Pœnitens, interrogatus a confessario de peccato confesso, potest jurare non commisisse, subintelligens illud, quod confessus non sit. Hoc tamen intelligendum, nisi confessarius juste interroget ad noscendum statum pœnitentis, ut ex prop. 58 dam. ab Inn. XI, in hæc verba « Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem. » D. de Ligorio, ib., n. 157.

(29. « Indigens bonis absconditis ad sustentationem potest iudici respondere se nihil habere... Pariter hæres, qui sine inventario occultavit bona, si non tenetur ex illis satisfacere creditoribus, potest iudici respondere, nihil occultasse, subintelligendo de bonis, quibus satisfacere teneatur. » Ex D. Ligorio l. c., n. 158.

(30. « Qui mutuum accepit, sed postea satisfecit, potest negare accepisse mutuum, subintelligendo ita ut debeat solvere. Sic pariter, si quis fuit coactus ad matrimonium,

(111) « Celebris est hæc quæstio, an teneatur reus fateri crimen iudici legitime interroganti, cum timore magnæ pœnæ. Affirmat prima sententia. Ratio, quia iudex jus habet præcipiendi, quando legitime interrogat, ut reus crimen ei revelet. Ideoque reus peccat contra justitiam, si in hac re gravi ei non obediatur. Secunda tamen sententia, quam satis probabilem etiam intrinsece puto (quamvis primam censeam probabiliorē) negat teneri reum crimen suum revelare, casu quo damnandus foret ad mortem, aut ad treremes, ad carcerem perpetuum, vel ad amissionem omnium honorum, vel totius famæ et honoris. Ratio, quia videtur non adesse hanc duram legem, tanquam humano modo impossibilem, ut quis teneatur quasi ipsemet se con-

potest iudici asserere etiam cum juramento non contraxisse, scilicet libere, ut par erat; idem de eo qui irrita sponsalia inivit. Pariter qui matrimonium promissit, sed inde non teneatur ad illud, potest negare promissionem, scilicet ut ex illa teneatur. — Qui venit de loco falso putato infecto, potest negare venire ex illo, scilicet ut pestilenti, quia hæc est mens custodum. Pariter uxor, cui constat matrimonium esse nullum, potest iudici, vel confessario, qui alias non vellet eam absolvere, promittere cum juramento cohabitare cum viro, etsi non intendat, intelligens de cohabitatione licita. Salmat. » Ex D. de Ligorio, ib., n. 239.

(31. Rogatus a iudice an sit locutus cum reo, potest negare, intelligens non locutum fuisse ad cooperandum crimini. Ex D. de Ligorio, ib., n. 160.

(32. « Quæritur an adultera possit negare adulterium viro, intelligens ut illi revelet? Potest æquivoce asserere non fregisse matrimonium quod vere persistit. Et si adulterium sacramentaliter confessa sit, potest respondere: Innocens sum ab hoc crimine, quia per confessionem est jam ablatum, et potest affirmare cum juramento, quippe ad jurandum sufficit certitudo moralis; quæ certitudo moralis remissionis peccati potest quidem haberi, quando quis bene moraliter dispositus recepit pœnitentiæ sacramentum. Ad quæsitum vero Card... admittit in periculo mortis licere feminæ uti metaphora, quæ communis est in Scriptura, ubi adulterium sumitur pro idololatria, ut ex *Ezech. xxxiii, 27, quia adulterata sunt, et cum idolis fornicata sunt*. Imo si crimen est vere occultum, probabiliter potest mulier negare cum juramento et dicere: non commisi, eodem modo, quo reus potest dicere iudici non legitime interroganti: Crimen non commisi, intelligendo non commisisse, ita ut teneatur ei manifestare. » Ex D. de Ligorio, ib., n. 162.

Qui habet unum panem sibi necessarium, vere respondet se nullum habere ei qui petit panem commodandum, quia nullum habet de quo commodare possit, de quo solo ille interrogat: Ronc., et idem dicit Card. de pecunia petita, si domino sit necessaria. Ex eod., n. 163.

Sed hæc hactenus, de cætero lectoris iudicium sit.

(33. « Quoad iudicium (quæ est altera con-

demnare ad gravissimam pœnam, crimen suum confitendo, nisi commune damnum imminet ex recitencia confessionis delicti, puta hæresis, læsæ majestatis, etc.; tunc enim reus tenetur seipsum prodere, vel saltem socios, quantum opus est ad commune damnum avertendum, etiamsi si ipsi mors imminet ex revelatione sociorum, ex quibus evadet in iudicio convictus. Casu vero, quo tale damnum non timetur, cum lex obligans ad crimen fatendum probabiliter non exstet, probabiliter iudex non habet jus veritatem in tali casu exigendi, nec reus obligationem eam manifestandi; et ideo reus amphibologiis crimen celandi, contra justitiam non peccat. » D. de Ligorio lib. iv, cap. 3, dub. 7, n. 274.